

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Temperancia d  
cum fonte primo

Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum uane glorie non intorquet, qui solus non possidet quod accipit, sed hoc indigentibus misericorditer diuidit, scit habundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem uentris utitur sed ad reparationem uirtutis, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit saciari. Qui alimentorum inopiam sine murmuracione tollerat, nec pro necessitate uictus agit aliquid unde anima in laqueum peccati incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in habundancia superbia eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit habundare, nouit penuriam pati.

Gregorius omelia VII. super Ezechielem extrema parte super illud: Scio habundare et penuriam pati.

Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum uanae gloriae non intorquet, qui solus non possidet quod accipit, sed hoc cum indigentibus misericorditer diuidit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem uentris utitur, sed ad reparationem uirtutis, nec plus carni tribuit quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuracione tolerat, nec pro necessitate uictus agit aliquid unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in abundantia superbia eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriam pati.

Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechielem prophetam*, 2, 7, 16 (CCSL 142, M. Adriaen ed., pp.329-330, ll.502-512).